

CONRADVS MONACHVS HIRSGAVIENSIS.



Conradus ille, ut literis & studijs rectius vacare posset, monachus Hirsgaviensis cœnobij in confinibus Sueuorum ordinis S. Benedicti factus est. Ibi adeò omnis generis disciplinis operam dedit, ut philosophus, rhetor, & insignis poëta evaserit. Is sub nomine Peregrini multa præclara opuscula composuit, in quibus ornata sententiarum dispositio, & uenusti sermonis cultura ostendunt hūc hominem etiam ueteribus autoribus conferri posse. Inter alia composuit opus dialogorum sub nomine Peregrini presbyteri & Theodoræ virginis, quod speculum virginum inscripsit, & libris octo distinxit. Præterea de uita spiritus, & fructu mortis unà cum alijs huiusmodi. Fuit quidam alias ordinis prædicatorum, qui sub nomine Peregrini sermones aliquot ad populum composuit. Verùm is & tempore & eloquio, huic nostro multum inferior fuit. Huius enim scripta Tullianam eloquentiam resonant, id quod alter præstare non potuit. Claruit Conradus anno Christi circiter millesimo centesimo quadragesimo, Trit.